DISSERTATIO SA
TEXTUALIS
Ad locum Illuſtrem
Jeſai. IX.
Quam
una cum annexis, S. Cœnam eju
concernentibus,
Auxiliante DEO O.
PRAESIDE
RECTORE MAGNIFICO,
GODEFRIDO JÜ
SS. Th Doct.. Ejusd. Prof. P. Or
Ansgar. Paſt.
Amicæ Diſquiſitioni
ſubjiciet
a. d. Merc. XIII. Kalend. Januar. cI
in Auditorio majori,
PHILIPP. LUDOVICUS FRANC
Herborna-Naſſavius, SS. Th. S
Reſponſurus Auctor.

BREMAE,
Typis HERMANNI BRAUERI, Illuſt. Gym

SACRA
s
ıſtrem
X. 5.

ım ejuſque uſum
s,
D O. M.
E
IFICO,
JÜNGST,
, P. Ord. & Eccl.
.
tioni

nuar. cIↃ IↃ cc XIV.
ijori,
LANCKENFELD,
S. Th. Stud.
Ctor.

,
Iluſt. Gymn. Typogr.



VIRIS

Perquam Venerandis & Clarissimis; Praenobilibus item atq; Spectatissimis, Integerrimisque,

DN. GERHARDO VON DEM BUSCH, S.S. Theol. Doctori Celeberrimo, & Eloquiorum divinorum in æde Johannea Interpreti fidelissimo, Patrono suo summe colendo.

DN. LUDOVICO GEORGIO TREVIRANO, Ecclesiæ, quæ in Neapoli Bremensi Christo colligitur, Pastori vigilantissimo, Agnato suo nullo non honore prosequendo.

DN. FRIDERICO WILHELMO FRANCKENFELDIO, Archi-Prætori in oppido & districtu Nassaviensi meritissimo, Patruo suo amantissimo.

DN. JOHANNI NONNEN, Spectatissimi Seniorum Collegii membro dignissimo, Magnario florentissimo, Fautori suo æstumatissimo.

DN. ANTONIO BARKEY, Mercatori felicissimo, Hospiti & Evergetæ suo munificentissimo.

DN. JOHANNI DAVIDI RUNGIO, Chirurgo expeditissimo, Amico suo singulariter suspiciundo.

DN. JOHANNI ANTONIO FRANCKENFELDIO, Chirurgo dexterrimo, Parenti suo omni pietatis & amoris cultu observando.

Has studiorum suorum primitias in ulteriorem sui commendationem humillimente manuque sacras esse vult

Phil: Lud: Franckenfeld,
Auctor.



Dissertatio Sacra,

in vaticinium illustre Jesajæ Cap. IX. 5.

I.

OBjectum fidei salvificæ est Christus Θεανθρωπος, extra hoc nomen nullum datur hominibus, quo salvari queant Act. IV. 8. Jes. XXVI. 12. Messias est illud unicum salutare Luc. II. 30. factus à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, & redemtio 1. Cor. I. 30. Eph. I. 3. Col. I. 19. Qui offertur & exhibetur fide adprehendendus in Scriptura, totum Dei revelante consilium de salute Act. XX. 20. Rom. X. 14. Joh. V. 39. quæ extra hoc mysterium sterilis & spiritu cassa, vel litera mortua duntaxat esset, Apoc. XIX. 10. hinc nihil prius, nihil antiquius habuerunt Profetæ inde à Samuele & deinceps, quam ut de generationibus Messiæ, quod ad utramque ejus naturam, testarentur, & adventum ejus in plenitudine temporis annunciarent, Act. III. 21. 24. Ipsi Judæorum magistri hoc non diffessi sunt; ita in tractatu Berachot cap. V. fol. 34. אמר ר׳ חייא בר אבא אמר ר׳ יוחנן כל הנביאים לא נתנבאו אלא לימות המשיח *dicit R. Chia nomine R. Jochanan, omnes profetæ non profetarunt, nisi de diebus Messiæ.*

II. Specimen illustre exhibuit Jesaias Profeta verbis, quæ præ manibus habemus: Circa illa autem eo modo versabor, ut primo brevibus, quantum fieri potest, rem demonstrem ανασκευαστικως. deinde κατασκευαστικως scrupulos occurrentes eximam, ad ipsius sacri textus ακριβειαν: כי־ילד ילד־לנו בן נתן־לנו ותהי המשרה על־שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי־עד שר־שלום׃ *Quoniam puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & principatus erit*

 super

super humeros ejus, & vocabit nomen ejus admirabilis, consilium præbens, Deus fortis, patrem æternitatis, principem pacis.

III. Verbis versiculi absolvuntur positiones duæ; prior copulata, altera bimembris; cujus posterioris membra interstinctione accentus maximi, intra propositionem valoris, discernenda veniunt h. m. ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי־עד שר־שלום *Et vocabit nomen ejus* *admirabilis* | *consilio pollens* | *Deus fortis* || *patrem æternum* | *principem pacis.* |||

IV. Diffiteri hic non possum, multos viros doctos * hactenus fuisse, qui nobilissimum hoc oraculum doctissime pertractarunt; spicilegium tamen aliquod reliquerunt, scilicet ex accentuatione paulo aliam fieri posse interpretationem horum verborum, quam quæ hactenus interpretibus visa est; fatendum quidem accentuum rationem multis jam seculis vel penitus à plerisque ignoratam, vel non satis intellectam, vel ut rem nullius momenti habitam esse; si vero rem rite consideremus, patebit, non sine causa Spiritum S. per viros θεοπνεύστους accentus addidisse, ut contextus Ebræus tanto clarior & magis perspicuus redderetur; quid? si accentuum usu careremus, utique veritatis hostibus tunc adperirentur fenestræ, ad pervertendum S. codicem, eo, quo vellent, modo.

V. Diversa accentuationis quantitas duo itaque hic sistit nobis in secunda parte membra, quorum prius signat *subjectum denominans*, ad usque accentum majorem Sakephkatonum; alterum *objectum denominatum*, ad Sillukum in fine versus nobis exhibet; & ita membri prioris tria prædicata פלא יועץ אל גבור ad denominatorem, nempe Deum patrem pertinebunt, reliqua sc. אבי עד שר שלום erunt epitheta Messiæ, quæ interpunctio, uniformi in Scripturis accentuationis praxi, singulatim exempla examinanti firmata, probari potest: Liceat hac vice mihi esse tam acute cernenti.

VI. Etenim singula כנוים *epitheta*, si forent elogia Messiæ, alii certe accentus, longeque diversa accentuatoriæ quantitatis consecutio postulata fuisset, ea nimirum: ויקרא שמו פלא יועץ אל

* *E. G. Hellenbrok: Eversdyk, Coccejus, Poli Critica. Borbaus Comment. in Jes. it. Frischmuthi, Scherzeri, Sauberti, Læscheri Dissertationes in h. l.*

אל גבור אבי־עד שר־שלום *Et vocabit nomen ejus* || *admirabilis* |' *consiliarius* |' *Deus fortis* | *pater æternus* | *princeps pacis.* ||| NB.

NB. Propter accentuum in Typographeo defectum coacti sumus latine accentus addere, & sequentes habere deberent, ויקרא *munach*, שמו *sakephkaton*, פלא *resia*, יועץ *resia*, אל *merca*, גבור *tefir*, עד *tischa*, שלום *silluk*.

VII. Inter alia idem statuminant vocum commatis hujus ordinatio & rerum nexus, duo subjecta יֶלֶד & בֵּן item duo prædicata יֻלַּד & נִתַּן rationem denominationis mirabilis אבי־עד collatione sua exhibent, יֶלֶד enim & בֵּן respondent *τῳ* אבי, יֻלַּד & נִתַּן verba præteriti temporis *τῳ* עד, quod æternitatem designat: duo enim illa vocabula יֶלֶד & בֵּן utramque generationem, & æternam & temporalem in divinis cum relatione ad mysterium salutis humanæ indicant, priorem certe omni modo supponunt, & posteriorem additis prædicatis נִתַּן לָנוּ יֻלַּד לָנוּ describunt reciproco nexu, בֵּן יֻלַּד & יֶלֶד נִתַּן, ut fundamentum filiationis in tempore esse non potuisset, nisi ob nativitatem ab omni æternitate obtinentem, contra Arrianos, Socinianos &c. Ita Ps. II. 7. *Tu es* בני *filius meus*, ילדתיך *genui te* היום *hodie*, id est, ut ad textum præsentem accommodem, בן ילד היום vel בן עד *filius æternus.* R. Salomo usitata quidem Judæis *στρεβλωσει* verba היום ילדתיך *hodie genui te* ad enervandam filiationem Filii Dei æternam argumento loci Prov. XVII. 17. ואח לצרה יולד *amicus in angustia generatur*, hic interpretari conatur per *demonstrare*, hoc modo: היום אגלה לבריות שאתה בני *hodie demonstrabo hominibus, te esse filium meum*, miraculis sc. & operibus eximiis; sed *κρεσφυγετον* hoc esse ridiculum, imo ipsis Judæis inutile, abunde aliunde, & ex præsenti loco videre est.

VIII. Adjunctum prioris propositionis המשרה על שכמו *principatus erit super humeris ejus*, relationem continet ad epitheton postremum שר שלום *principis pacis*, qua de re mox nonnihil.

IX. Jam quid quæso, (non enim singula nunc lubet multis *παραφραζειν*) verbis præsentibus intelligitur aliud, quam *μυστηριον* illud *ομολογουμενως μεγα* 1. Tim. III. 16. Filium sc. Dei esse ab æterno genitum, sed in tempore *ενσαρκοθεντα*; vel *φανερωσις* illius *εν σαρκι*, cui ratione utriusque primogenituræ principatus in totum mundum

&re-

& regnum in suum peculium divino jure competit? quod mysterium adorandum & admirandum ex ipsa denominatione propositionis sequentis fiet magis manifestum. Mysterium certe est in denominatione *filii* & *pueri* in tempore nati, qua adpellatur *pater æternitatis*, cujus ονομαθεσιας jus & πρωτερημα haud aliud esse poterit, quam illius, qui naturas ipsius novit, videl: Patris ipsius, qui eum *patrem æternum* & *principem pacis* destinavit ab æterno; quia enim in divinis scriptis, ubi denominationes istæ sunt realiores, non mera signa, sed vel res ipsæ vel perfectiones divinæ, vocare aliquem talem est *docere* & *testari*, eum talis naturæ esse; sequitur, nullum αυτοπιςως docere & testari posse filium esse, quam eum, qui proprietatibus istis admirabilitate, consilio, omnipotentia, aliisque summis virtutibus conspicuus est, videl: patrem ipsius, qui eum cum υποδειξει *admirabilis gloriæ* ab æterno genuit, & qui propterea eum virtute *admirabilis sapientiæ* in consilio gratiæ ab æterno Servatorem constituit, quique in demonstratione admirabilis *consultationis suæ* & *omnipotentiæ* ipsi in tempore virtute Spiritus S. corpus coaptavit Hebr. X. 5. adeoq; & θεανθρωπον mediatoremque dedit, qui omnes Dei virtutes in negotio salutis redderet conspicuas, ita Ps. CXVIII. 23. *Hoc mirabile est*, Es. XXVIII. 29. 2. Thess. I. 10. Ps. CXLV. 5. Testatur *Sapientiam* Eph. III. 10. Rom. XI. 33. 1. Cor. I. 21. 24. II. 7. Col. II. 3. *Potentiam* Rom. I. 16. 1. Cor. I. 18. 24. II. 4. 5. 2. Cor. IV. 7. Eph. I. 19. *Pater testatur de filio*, Joh. V. 31. 32. VIII. 18. 47. Matth. XI. 27. *Nemo novit filium nisi pater* Matth. XVI. 17.

X. Et certe, quomodo admirabilis Dei gloria in ineffabili generatione filii Dei fuerit conspicua, quomodo admiranda & πολυποικιλος Dei sapientia καθ υπερβολην εις υπερβολην *mire supra modum* fuerit manifestata in constitutione θεανθρωπου in Mediatorem, quomodo item admirabilis ejus sapientia & omnipotentia plus satis κατα το υπερβαλλον μεγεθος του κρατους της ισχυος αυτου Eph. I. 19. in mysterio ενσαρκωσεως, ut captum omnem transcendat, demonstrata fuerit, Scripturæ passim loquuntur.

XI. Notetur irregularis positio quantitatis distinctivæ in voce פלא emphatice signatæ accentu *Telischa Gdola*, loco *Gereschi* juxta regularem accentuationis tenorem; scilicet notat admirandam illam & ineffabilem in divinis generationem, & ονομαθεσιας illius

lius ineffabilem rationem, & *αῤῥητον* modum, quo vocatur אבי־עד, *υπερεχουσαν* item *παντα νουν ειρηνην*, *omnem mentem superentinentem pacem* Christi Jesu, principis pacis, Phil. IV. 7.

XII. His jam consideratis, ostendendum nunc, quæ epitheta puero huic nato & filio dato adscribantur: primum horum est אבי־עד. Vox אב *pater* tam in scriptis sacris, quam profanis varias habet significationes: pater in genere est qui filium habet, sic Isaacus Abrahamum vocat *patrem suum* Gen. XXII. 7. More Hebræorum autor & inventor rei alicujus etiam *pater* dicitur Gen. IV. 20. 21. Joh. VIII. 44. Reges quoque & principes, magistratus, doctores & præceptores *patres* salutantur, 1. Sam. XII. 15. Gen. XV. 8. 2. Reg. IX. 1. Gal. IV. 19. Tota Deitatis essentia etiam titulo hoc insignitur, Mal. II. 10. coll. Jac. I. 17. imo Gentilitas Jovem aliosque Deos *patres* nominabat; Hunc autem *patris* titulum cumprimis gerit *prima* Deitatis persona, quia non solum ipsi tribuitur opus creationis, qua in filio ut verbo suo omnia vocavit; & conservationis, gubernationisque; sed præcipue & proprie propter æternam filii sui generationem: *Tu es filius meus* inquit pater, *ego hodie genui te*; & Christus ipse de se ait Joh. V. 26. *sicut pater habet vitam in se ipso, sic dedit & filio vitam habere in se ipso.* Et Matth. XI. 27. Sic & respectu fidelium electorum, qui efficaci Spiritus Sancti operatione regeniti ejus imaginem gerunt. Joh. I. 13. & quos ut pater adoptat.

XIII. Nomen autem hoc non solum prima, sed & *secunda* in Deitate persona gerit, sc. Jesus Christus, & vocatur ille אבי־עד 1. respectu rerum omnium temporalium, quarum *pater*, id est, principium & causa est, tanquam *ο λογος του πατρος*, qui fuit apud patrem ab initio, & per quem omnia facta sunt, Joh. I. 1. 2. 3. per quem æones conditi Heb. I. 2. sc. אֲצִילוּת בְּרִיאָה יְצִירָה עֲשִׂיָּה *emanatio*, *creatio*, *formatio*, *factio*, sive *ποιησις*, quos quatuor mundos sc. *emanativum*, *creativum*, *formativum*, *factivum* Cabbalistæ desumunt ex litteris initialibus אבי עד ex nostro præsente loco, ד vero ultimum quatuor indicare mundos dicunt (sed Cabbalistica hæc sunt.) sc. fuit ראשית דרכו *principium viarum ejus*, מקדם מאז Prov. VIII. 22. Filius Dei naturalis assumens humanam naturam, & tamen manens in sinu patris, & *προς τον θεον* Joh. I. 1. i. e. אצלו *apud*

apud ipsum Proverb. VIII. 30. Versio Syriaca habet *Deus mundorum fortissimus*; אב etiam significat *Dominum*, verti ideo posset *Dominus seculi*; omnis scilicet, non tam millennii Apocalyptici, tanquam regni Christi gloriosi adhuc expectandi, quod Angelis non sit subjectum, i. e. Diabolis, Heb. II. 5. Apoc. XX. 1 sq. ut nonnullis placet; sic versio vetusta Norimbergæ edita 1483. vertit: Ein HErr der künfftigen Welt. LXX. vertunt πατηρ τȣ μελλοντ☉ αιων☉, & hi omnes עד per seculum vertunt. Sed varias has interpretationes non meas facio. 2. *Pater æternitatis* vocatur, in oppositione ad patres illos carnis sub Vet. Test. ad Deos ita dictos, qui morti subjecti erant cum omni regno & sacerdotio suo, Heb. III. 16. VII. 23. XII. 9.

XIV. Cum primis vero 3. Messias Jesus Christus *Pater* a nostro Profeta relate vocatur, quia quoque *filios* habet, qui in ipso & per ipsum ad vitam æternam regenerantur. Inter omnes promissiones, quas olim Abrahamus a Deo accipiebat, hæc præcipua erat, quod non amplius אברם sed אברהם *pater multarum esse gentium* dici debeat: Jesus est pater fidelium tam ex Gentibus quam Judæis, quos per verbum & Spiritum suum generat Ps. CX. 3. 1. Cor. IV. 15. qui per ipsum facti sunt filii Dei, ipsiusque hæredes & cohæredes Joh. I. 12. Rom. VIII. 16. quibus non spiritum servitutis sed adoptionis donavit vs. 15. filios eos facit per bonitatem, & adoptat per misericordiam ad communionem & hæreditatem suam, Es. LXIII. 16. Matth. XXIII. 9. Deut. XXXII. 6. Ps. LXVIII. 6. Est ille אבי־עד 4. qui (ut verbis Cocceji utar) non solum ab initio fuerit apud Deum & Deus, sed & æterno spiritu spoponderit, κατα δυναμιν ζωης ακαταλυτȣ, & in tempore se obtulerit, ut novo jure pater Ecclesiæ fieret. 2. Quia filiis suis fidelibus ex Judæis & Gentibus æternam redemtionem, justitiam, vitam, acquisivit, & meritus est, creavit ille æternitatem, & hanc largitus est suis. Es. LXV. 18. Ea est η αφθαρσια & η ζωη η αιωνι☉, quam suis præparavit. Homo peccator nunquam æternam beatitudinem impetrare potuisset, nisi per Christum *patrem æternitatis*, autorem vitæ æternæ. *Ipse solus*, ait Apostolus Paulus, *est causa salutis nostræ æternæ*, Heb. V. 9. *Ego do ipsis vitam æternam, & hi nunquam peribunt*, inquit ipse Christus Joh. X. 28. per ipsum nempe novi Fœderis media-

diatorem accipimus promissionem æternæ hæreditatis Heb. IX. 15. 2. Tim. II. 10. 1. Joh. V. 11. 12. 20. 1. Pet. V. 10. Joh. VI. 40. 58. Act. III. 15. 5. *Pater æternitatis* dicitur, quia semper habet paternum erga populum suum affectum, paternam erga suos beneficentiam, hancque in æternum non mutat, Es. XLIX. 15. 16. LIV. 7. 8. & servat suum populum non solum in hac sed & futura vita.

XV. Alterum epitheton, quod puero huic nato Messiæ tribuitur, est שר שלום *princeps pacis.* Hebræis vox שלום quamcunque prosperitatem & salutem notat, & omne id, quo aliquis felix & beatus dici potest: Hic vero non tam de temporali, quam potius de spirituali pace sermonem esse existimamus, licet quidem Christus natus sit eo tempore, quo pax & tranquillitas ubivis terrarum floreret, & vere tunc Halcyonia fuerint, clauso Romæ Jani templo, & quamvis etiam omnis pax temporalis ab eo originem ducat, & ita optimo jure pacis hujus autor dici possit: attamen cum regnum Christi non de hoc mundo, sed principatus ejus mere spiritualis sit, Joh. XVIII. 36. Matth. X. 34. etiam pacis spiritualis princeps erit præsertim. Phil. IV. 7.

XVI. Et certe Messias Servator noster *principis pacis* laudem pleno meretur titulo; Est ille *pacis princeps* 1. in se, quia pacem amat, propterea ab Apostolo Eph. II. 14. *pax* vocatur: est ille verus Melchizedek Rex in Salem, cujus ille typus erat, Genes. XIV. 18 sq. Heb. VII. 2. Ipsi summo cum jure competit, qui *princeps pacis* vocetur, quia est autor pacis Deum inter & electum peccatorem, qui Dei inimicus propter peccatum factus erat: Deus jam plene est reconciliatus, causa inimicitiæ, peccatum, ira, condemnatio, timor mortis ablata sunt: *Deus in Christo mundum sibi reconciliavit, non imputando eis offensas eorum, posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis*, ait Paulus 2. Cor. V. 19. Fundamentum hujus pacis est *justificatio*, de qua Apostolus Rom. V. 1. *Justificati nunc per fidem pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum*, Principem pacis: *Nulla nunc amplius est condemnatio illis, qui in Christo Jesu sunt.* Rom. VIII. 1. Jes. LIII. 5. LVII. 19. Rom V. 10. Hanc pacem Christus mundo peperit, prælio adversus hostes, Diabolum, peccatum, mortem, infernum, confecto. Ex qua victoria filii Dei in-

telligunt, quam amabilis pax sit, cujus Profeta Messiam Christum Jesum autorem facit & principem, & quam angeli illo nato his celebrarunt verbis: *Gloria in excelsis Deo, in terris pax; hominibus bona voluntas*, vel ut aliis placet: *in hominibus bonæ voluntatis*, Luc. II. 14. Angelorum chorus mentionem hic fecit της ευδοκιας, ut ostenderent liberrimam Dei ab æterno benevolentiam & paternum acquiescentiæ amorem ejus per benedictam hanc sobolem Christum erga electos declarari, dum Ille adparuerat, qui mundum cum Deo reconciliare, & pacem comparare debeat iis, qui antea per peccatum a Deo diremti fuerant lethali illa peccati inimicitia, hanc inimicitiam non sacrificia, non sanguis taurorum & hircorum, non lex, quatenus est mortis & iræ divinæ ministra, sustulit, sed sanguis Jesu Christi, *principis pacis*. 3. Est Christus *princeps pacis*, dum pacem in nobis ipsis & conscientia nostra acquisivit; peccatum namq; non solum inimicitiam Deum inter & hominem, sed & in ipso homine comparaverat; conscientiam hic habebat semper eum mordentem, accusantem & condemnantem, ipsique omnia sua delicta continuo ob oculos ponentem; ast inimicitia ista nunc penitus est deleta, conscientia jam quieta est reddita per solutionem sponsoris Christi Jesu, accepit nunc fidelis το της συνειδησεως αγαθης επερωτημα εις Θεον, 1. Petr. III. 21. *cum vero corde* εν πληροφορια πιστεως *aspersione purgato corde a conscientia mala, accedere potest ad thronum gratiæ, qui in cœlis est*. Hebr. X. 22. IV. 16. *In ipso* sc. Christo *jam habemus* παρρησιαν *& aditum cum fiducia per fidem in ipsum* Eph. III. 12. Hæc est pax omnem superans mentem Phil. IV. 7. 4. *Princeps pacis* est, quia pacem fecit Judæos inter & Gentes, antea inter sese inimicos, eosque invicem conciliavit, parietem illum intergerinum, legem ceremonialem morte sua abolendo: *Ipse est pax nostra*, inquit Apostolus Eph. II. 14. *qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit, inimicitiis* id est, *lege præceptorum in ritibus* posita *per carnem suam abolevit, ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem, & utrosque in uno homine reconciliaret Deo per crucem inimicitiis per eam diremtis*. Judæi & Gentes jam unius regni sunt facti subditi, concives unius civitatis, unius familiæ Dei sc. domestici, hanc pacem inter Judæos & Gentes

tes clare prædixit Esaias Cap. XI. 6. 7. 8. † *Princeps pacis* 5. vocatur Christus, quia in pace & tranquillitate regnat Rom. XIV. 17. Alii hujus terræ Reges & principes nunquam pace fruuntur perenni, sed facile bellis & dissidiis sunt implicati; longe certe alia res est in regno Christi, in quo sempiterna ejus subditi gaudent pace, perque Spiritum Sanctum reguntur, qui non est spiritus *dissensus* & *invidiæ*, Jac. IV. 5. sed *pacis*, Gal. V. 22. *Pax* quam Christus electus suis sanguine suo acquisivit, quotidie adhuc in ejus regno proclamatur per verbum Evangelii. *Hoc est verbum*, inquit Petrus Act. X. 36. *quod significavit filiis Israel, evangelizans pacem per Jesum Christum, qui est omnium Dominus*; & Paulus de Christo testatur Eph. II. 17. *quod venerit, ut pacem evangelizaret.* Evangelium, Regis hujus sceptrum, est *pacis* Eph. VI. 15. quod subditis amorem & pacem, quam maxime proponit & commendat, Rom. XII. 18. Heb. XII. 14. Quotquot etiam sub hoc Imperio sunt, & secundum Regis hujus præscriptum ambulant, & incedunt, *super illos est pax:* Gal. VI. 16. subditos suos princeps hic *filios pacis* facit Luc. X. 6. Ministri ejus sunt nuncii pacis; *Quam decentes sunt super istos montes pedes Evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Zioni: Deus tuus Rex est*, Jes. LII. 7. Hanc *pacem* 6. Christus quoque suis custodit & conservat, Jes. LV. 12. XXVI. 3. defendit eos contra omnes hostes, nec Satanas, nec caro, nec mundus illos pace hac privare poterunt, portæ inferorum non superabunt eos Matt. XVI. 18. Tandem 7. populum suum introducet in Salem, *urbem pacis*, quæ cœlum est, ubi princeps hic pacis suum thronum habet & regnat, & in quo perfecta cum ipso principe pacis & æterna pii beabuntur pace Heb. II. 10. IV. 9.

XVII. ותהי המשרה על שכמו: De hoc pacis principe dicitur, *quod principatus futurus sit super humeris ejus.* Phrasis hæc alludere videtur vel 1. ad morem illum, qui olim usum in aulis principum habebat, quando Reges solebant ministris suis primariis maximam imperii sui partem imponere; in hujus autem imperii impositi signum clavem in humeris suis portabant, ut sym-

† *Vid. Joh. Henr. Schrammii Doct. & Theologiæ Prof. in Schola patria celeberr. Præcept. mei vener. in h. l. Dissert.*

ſymbolum poteſtatis; quare & diſciplina & poteſtas Eccleſiaſtica nobis ſub nomine *clavium* regni cœlorum occurrit Matth. XVI. 19. Ad hunc morem etiam reſpici puto Eſ. XXII. 22. ubi de Eliakimo dicitur: *Et imponam clavem domus Davidis humero ejus, eo adperiente nemo claudet, & eo claudente nemo adperiet*: conf. phraſin de Chriſto uſurpatam Apoc. III. 7. Hunc morem dein Romanus Magiſtratus imitatus eſt, quem quando exibat, lictores ſequebantur, ſuper humeros portantes ſecurim & faſces in ſignum poteſtatis & imperii. Vel 3. reſpicitur ad baculum *humeri* ejus, de quo vſ. 3. Cogitari etiam 4. poſſet de duobus illis Sardonychibus, in quorum unoquoque inſculpta erant ſex nomina tribuum Iſraelis, quos Summus Pontifex in humeralibus Ephod geſtare debebat coram Domino in recordationem Exod. XXVIII. 6. 14. quibus duo ſignificari poſſunt. *a.* Summum illum & verum Pontificem Chriſtum Jeſum electos ſuos in ſanctuarium cœleſte humeris portare, Eſ. XL. 11. tanquam gemmam pretioſam, Hagg. II. 24. Thren. IV. 1 ſq. & peculium ſuum & gregem. *b.* Deum electorum habiturum curam, illisque multifarie benefacturum, nam poſtquam Sacerdos noſter verum ſanctuarium introivit, ovabundus ſuam hanc hæreditatem redemtam geſtat Luc. XV. 5.

XVIII. Patrum multi hanc phraſin de *cruce* Chriſti exponunt, quam ſuper humeros ſuos ſuſcepit Joh. XIX. 17. Et hanc ſententiam depromſiſſe videntur ex antiqua verſione Pſ. XCVI. 10. ubi extat: *Dicite gentibus, quia Dominus regnavit a ligno.* Nobis ſimpliciſſimum videtur, ſi dicamus, innui hic regium Chriſti munus & imperium ipſius in eccleſiam ſuam, curamque pro fidelibus & electis. Regem Meſſiam fore, ubique profetarum oracula canunt, vid. Num. XXIV. 17. Oraculum Bileami, & Hannæ, 1 Sam. II. 10. Davidis Pſ. II. 6. 8. 9. VIII. 6. 7. XLV. 4--7. XLVII. 5 ſeqq. LXXII. 1. ſeqq. CX. 1-3. Eſ. XI. 4. XVI. 5. Zach. IX. 9. Apoc. III. 12. XIX. 16. XXI. 10. Quando autem hic dicitur de *Principatu ſuper humeros ejus*, indicatur 1. Meſſiam ſolum eſſe conſtitutum Regem & Dominum, abrogatam eſſe illorum poteſtatem, qui antea in Dei populo dominabantur, orbis habitabilis ne Angelis quidem ſubjectus eſt, Heb. II, 5. propterea & Jeſaias

Jesaias conjungit cum regni & dominii devolutione in humerum Filii, abrogationem imperii alieni, ad ecclesiæ libertatem, de qua vs. 3. hujus cap. (evolvatur Coccejus de his prolixe agens Tom. II. in h. l.) 2. Quia ipsi soli a Deo Patre omnis in cœlo & terra concessa est potestas, quod ipse de se testatur Matth. XXVIII. 18. XI. 27. Joh. III. 35. XVII. 2. quod contra Tyrannum illum Ecclesiæ Romanæ usurpatorem superbum observamus, qui Christi vices subire, ac supremam in Christi populum authoritatem sibi arrogare audet, dum Christo gladium spiritualem & sibi corporalem tribuit: Christi principatus est mere spiritualis non terrestris, non is humanis armis capitur & defenditur, non opum terrenarum & potentiæ carnalis in illo habetur ratio, non per luxum, libidinem, & tyrannidem imperii hujus subditi reguntur; Rex eorum est *Princeps pacis*, continua & æterna pii gaudent pace, liberi sunt ab omni servitute, Lex quæ in hoc regno viget, est νομ© πλει© της ελευθεριας, Jac. I. 25. est lex spiritus vitæ in Christo, liberans nos a lege peccati & mortis, Rom. VIII. 2. ο λογ© εμφυτ© *sermo insititius*, Jac. I. 21. Non est, quod metuant infensissimos suos hostes illi, qui Messiæ regno continentur: Dominantur denique, superatis variis difficultatibus, in peccatum, circumdati æternæ justitiæ lumine, in mortem dominantur, splendore vitæ perennis vestiti, dominantur in maximum illum hostem Satanam, induti thorace justitiæ, & scuto fidei Eph. VI. 14. 16. dominantur in infernum, possidentes cœlum. Beatus ergo, qui hujus Regis subditus est, beatus, qui in hujus principatu partem habet, in qua æterna justitia, victa injustitia, æterna vita, superata morte, æterna pax, sublata omni inimicitia, æternus splendor & gloria, deleto omni opprobrio cernitur. Apoc. III. 21.

XIX. Restat, ut videamus verbulo, in *quorum bonum* Messias in mundum venerit; Profeta dicit לנו *nobis*. Non tantum hic secundum Abarbanelis sententiam intelliguntur בני יהודה filii Juda, sed & illi, quorum in antecedentibus mentio facta, populus sc. in tenebris, & in umbra mortis habitans; quis autem populus ille alius erit, quam Galilæi, in Gentilium confinio, quibus lux hæc exorta est, Matth. IV. 14-16. Datus est illis Christus, quos ipsi Do-

minus dedit Ef. 8: 18. cum illis, qui ipfi in æterno gratiæ teftamento ante jacta mundi fundamenta dati funt a patre, eft communicatus, ut eum viderent, ejusque verbum audirent, & crederent in eum. O admirandam divini amoris profunditatem! *Sic Deus dilexit mundum, ut filium fuum unigenitum daret, ut omnis in eum credens non pereat, fed habeat vitam æternam*, Joh. III. 16. Deus proprio fuo filio non pepercit; fed illum *nobis* dono dedit, qui tamen ejus inimici eramus, *nobis* a conceptu & partu vitiofis, ut expiatis & deletis prævaricationibus in integrum nos reftitueret, *nobis* per peccatum mortuis, ut vitam concederet, *nobis* devotis inferno, ut cœlum adperiret; *nobis* omni opprobrio & maledictioni fubjectis, ut ipfe maledictio pro *nobis* factus ad cœleftis gloriæ & fplendoris communionem nos transferret; *nobis* natura ftultis natus eft, qui ftultus a mundo haberetur Deut. XXXII. 15. cum tamen effet fapientia patris, ut nos fapientes redderet; *nobis* natura filiis iræ & diaboli, ut nos filios dilectos Dei faceret: nam quibus hic filius datus, illi funt filii Dei vivi, fiquidem cum Filio hoc & Patrem unum habent, & Patris funt hæredes, Filiique cohæredes, Rom. VIII. 17. Gal. III. 26. 29.

XX. Nunc porro ανασκευαστικως Judæorum ftrophæ aliorumque παρερμηνειαι quædam refellendæ & difficultates eorum folvendæ adhuc pauculis fuperfunt. Supponimus, textum, uti aliis quidem videtur, a Judæis minime fic effe corruptum, ut ex וַיִּקָּרֵא paffivo fecerint וַיִּקְרָא activum: Mafora enim obfervat, וַיִּקָּרֵא quinquies tantum legi in Bibliis, ut 2. Sam. XVIII. 9. 18. Efræ. II. 61. Neh. VII. 63. Ezech. XX. 29. neque tamen dicti hujus noftri ullam facit mentionem: Ergo vox וַיִּקְרָא haud quaquam eft vitiofa, fed genuina, & οικειω hoc eft *activo* fenfu fumenda: Nec obftat, quod וַיִּקְרָא quandoque ufurpetur impersonaliter, ut Gen. XXXVIII. 29. ויקרא שמו & *vocavit nomen ejus Perez*, & vf. 30. Gen. XXV. 26. &c. vel quod fubjectum enunciationis, in ejusmodi locis fubintelligendum, ελλειπτικως negligatur, ut fenfus loci hujus fit: *Et vocabit eum unusquisque* פלא יועץ &c. cum alia memoratorum locorum fit ratio, in quibus neceffitas exigit, ut vel fumatur imperfonaliter, vel elliptice; etenim fin active ibi cape-

caperetur, ex. gr. in ויקרא שמו פרץ exprimeretur denominator, & actus denominandi, non expresso nominato, qua difficultate nostrum præ manibus locum carere, unicuique manifestum fit, qui inspicit verborum interpretationem ex שלשלת המקרא *catena accentuationis* ultro fluentem.

XXI. Licet autem textum Judæos corrupisse nullo modo dici queat, expositionibus tamen fallacibus & subdolis ingenio suo faventibus sensum corruperunt; ita enim bipedum ille nequissimus R. Lipman dicit: כי ילד יולד לנו: אף כאן הרבו הנוצרים לטעות וקראו להנוצרי אל גבור וגו׳׳ והנה זה כמנהגם לתפיס אות אחת בלי ראות מה של פנים ומה של אחור. כי פרשה זו מחובר על של מעלה איך שהגלה מלך אשור את ישראל ומלך יהודה נצל: Quoniam puer natus est nobis: *Etiam hic multo magis errant Christiani, prædicando de Jesu Nazareno epitheta illa,* Deus fortis, Pater æternitatis, *idque faciunt more suo consaeto, arripiendo sc. litterarum aliquam, neque inspiciendo, quid prius aut posterius sit; sectio enim hæc composita est de ascensu, cum Rex Assyriæ captivasset Israelitas, rex autem Judæ evasisset.* Nitz. cap. 226. fol. 124. & Abarbanel fol. XXIII. col. 1. אמנם כפי דעת יונתן ורשי׳׳ ושאר המפרישים כל אלה הם תוארים לה׳׳קבה מלבד שר שלום שהיא היה תואר המיוחד לחזקיהו: *verum juxta sententiam Jonathanis & R. Salomonis, reliquorumque interpretum omnia illa Epitheta sunt Dei S. B. excepto* princeps pacis, *quod est proprium Hiskiæ.* Et R. Sal. in h. l. ה׳׳קבה שהוא מפליא עצה וגו׳ ואבי עד קרא שמו של חזקיהו שר שלום כי שלום ואמת יהיה בימיו: *Deus S. B. mirus consilio &c. & pater æternitatis vocavit nomen Hiskiæ* princeps pacis, *quia pax & veritas erunt diebus ejus.* Blasphema verpi verba, apud Münsterum citata, non merentur, ut hic addantur.

XXII. Utinam autem Judæi soli essent, qui illustre hoc Esaiæ oraculum Messiæ inviderent! Inter ipsos etiam Christianos sunt quidam huic Judæorum interpretationi nimium faventes, quos inter est vir alias illustris Hugo Grotius, qui omnia hæc epitheta Hiskiæ quoque adscribit, hac tamen cum differentia, quod multo excellentius in Jesum quadrent.

XXIII. Sed quam misere ad Ezechiam præstantissima hæc Epitheta referantur, unicuique, qui hunc nostrum textum, ejus-

ejusque antecedentia & consequentia attente inspiciet, patebit: 1. Has interpretamentorum recutitorum technas accentuatio delineata manifestæ falsitatis convincit in pausa maxima vocis גבור posterioris hemistichii. 2. Nullum in toto capite invenimus Hiskiæ vestigium. 3. Quod ad ejus nativitatem, natus erat diu ante, quum Esaias hæc vaticinaretur. 2. Reg. XVIII. 2. 4. Ubi gentis magnificatio, lætitiæ magnitudo, quam nativitas Hiskiæ attulerit? de qua vs. 2. 3. 4. 5. Quis quæso aliud est *lux* illa, de qua noster Profeta vs. 1. verba facit, *quam ambulantes in tenebris viderunt, quæque splenduit super sedentibus in terra umbræ mortis*, Judæis sc. & Gentibus seu Galilæis, quis, inquam, alius esse poterit, quam Messias Jesus, qui ipse verba hæc in se adplicat: Matth. IV. 16. *ο λαος ο καθημενος εν σκοτει, ειδε Φως μεγα, και τοις καθημενοις εν χωρᾳ και σκια θανατȣ Φως ανετειλεν αυτοις.* conf. Es. XLII. 7. XLIX. 9. LX. 1. Luc. I. 79. II. 32. Et quam coacte Ezechiæ excellentissima illa encomia & nomina adscribantur, quivis videt. 1. *Principatus erit super humeros ejus;* Hoc Grotius interpretatur: *Erit πορφυρογεννητος, ab ipsis cunis purpuram feret regiam;* ut natus in regnum: Verum id phrasi huic minime convenit, nec ejusmodi quid est, quod non in unumquemque degenerem etiam cadat filium regium. Proprium saltem hoc non erat Regi Hiskiæ, nam & omnes reges Judæ inde a Davide æque erant regni hæreditarii. 2. Vocatur Hiskias פלא *mirabilis*, Judæis, *a miraculo, quod patratum erat ad ejus petitionem*, 2. Reg. XX. 1—6. vel ut judaizans Grotius censet, *ob summas, quæ in ipso futuræ erant virtutes:* Sed quod ad prius, illud ipsum sese refutat, miraculum enim illud non Hiskias sed ipse Deus patraverat, adeoque Deo potius quam Hiskiæ nomen illud competit: quod ad posterius; an Hiskias pietate, aliisque virtutibus major Davide fuit? quare ergo cum ipso comparatur 2. Reg. XVIII. 3. & cur is potius præ aliis Regibus hoc singulare elogium gerere debet? Jud. XIII. 18. Angeli Jehovæ nomen vocatur פלאי quod ipse Kimchius interpretatur, quod sit מפורש ומובדל מדעתך אותו, *quod scire vel assequi nequeas.* Quid quæso in Hiskia fuit, quod quis capere nequiverit? 3. יועץ *consiliarius, quod cum principibus consilium ceperit de cultu Dei & tutela urbis*, 2 Par. XXIX. 20. *& quod in omnibus negotiis consilium a Deo poposcerit per Profetas:*

fetas: Sed an hoc rursus peculiare tantum fuit Hiskiæ? annon & alii fideles & sancti Reges hoc fecere? 2. Hiskias etiam non semper Deum consuluit, Es. XXXIX. 3. 3. Vox יועץ non notat aliquem, qui consilia petit, sed qui dat: nec multum juvabit astutia Grotium, qui hoc nomen cum sequenti conjungit, & reddit *Consiliator Dei fortis*, contra quam sufficiunt ea, quæ dixi, pugnatque contra accentuationem. 4. אל גבור, quod *robustus potentum, vel inter potentes fuerit Hiskias.* Verum hoc α. pugnat contra accentuationem, quæ non patitur, ut duo hæc vocabula sejungantur. β. Vox אל quando in singulari adhibetur, nulli alii nisi summo Deo convenit: Es. X. 21. Jer. XXXII. 18. Nehem. IX. 32. & alibi. 5. אבי עד pater æternitatis; *quod multos post se relicturus sit filios, & in multum tempus.* Sed hoc *a.* repugnat phraseologiæ S. Scripturæ, in qua talis locutio nunquam adhibetur. *b.* Hoc rursus non solum Hiskiæ, sed multis aliis peculiare erat. *c.* Verisimile admodum est, Hiskiam unicum tantum reliquisse filium. 6. שר שלום princeps pacis, *quod ipso regnante pax esset futura*, vel ut Grotius putat, *quod esset princeps pacificus.* Jejuna certe interpretatio: an is qui turbulentissimis temporibus vixit, bellumque cum Philistæis gessit; an is inquam, qui in summas redactus angustias, Assyriæ regem potentissimum, excidium ipsi minitantem, tantis muneribus placare studuit, *princeps pacis* ita vocari potest & debet? (*a*) Versu quoque sequenti regnum illius, de quo in nostro textu mentio fit, latius describitur: *Amplitudini illius principatus & paci nullus erit finis, super solio Davidis & super regno ejus, ad stabiliendum illud per judicium & justitiam, a nunc & in seculum Zelus Jehovæ faciet hoc.* Quis hominum dicere auderet, hæc de regno Ezechiæ esse intelligenda? Audiamus, quid Angelus ad Mariam de Jesu dicat Luc. I. 32. 33. Ουτος εσται μεγας, και υιος υψιστου κληθησεται, και δωσει αυτω Κυριος ο Θεος τον θρονον Δαβιδ του πατρος αυτου, και βασιλευσει επι τον οικον Ιακωβ εις τους αιωνας· και της βασιλειας αυτου ουκ εσται τελος. conf. Dan. II. 44. VII. 14. 27. Mich. IV. 7. Ps. XLV. 7. 1. Cor. XV. 24. Heb. I. 8. Sed quid pluribus opus est? multi ex Judæorum Magistris nobiscum sentiunt; R. Jose, Targum Jonathanis aliiq; hoc Esaiæ oraculum de Messia interpretandum esse dicunt, imo & ipse Kimchi,

(*a*) *Poli Critica; it. Frischmuthi & Sauberti Dissert. in h. l.*

chi, & Aben Esra. Chaldæus paraphrastes eleganter admodum & recte pro שר שלום reddit משיחא שלמא *Messias pacis*.

XXIV. Nullius est momenti quod nobis objiciunt: 1. R. Lipman opponit: Puer *natus* est, filius *datus* est, adeoque puer hic jam tempore Esaiæ *fuit*: Jesus autem Nazarenus demum sub templo secundo fuit: Sed recutiti simulant se nescire, quod sc. in Codice S. nil vulgarius sit, quam verbum præteriti temporis multoties pro futuro positum esse, cumprimis apud Profetas, qui rerum futurarum seriem exponunt sæpius verbis rei gerundæ ceu gestæ congruentibus. Vid. Genes. XLIX. 9. 15. 22. 23. 24. Num. XXIV. 24. Deut. XXXII. tot. Ps. II. 1. Es. LIII. &c. 2. Quod in textu extet ויקרא שמו *& vocavit nomen ejus*, non שמותיו *nomina ejus*: Miseri hi suis exceptiunculis conscientiam manifestant suo ipso judicio condemnatam: Quoties in S. Scriptura mentio fit nominis Dei in singulari? Quis autem dicere auderet, Deum unico tantum pollere nomine? vid. Zach. XIV. 9. Exod. XXXIV. 5 seqq. Ad reliquas & Judæorum, & Socinianorum objectiones in conflictu respondebo.

XXV. Christum non solum extra nos nasci bono nostro, sed in nobis quoque esse debere, ceu spem gloriæ in mysterio, docemur Col. I. 27. ut *μορφωθῃ formetur* ipse in nobis Galat. IV. 19. nosque imagini suæ similes reddat, Rom. VIII. 29. & ita eædem virtutes Dei in nobis fiant conspicuæ, *admirabilis sapientia & omnipotentia* Eph. I. 19. & *θαυμαστον αυτου φως admirabilis ejus lux*, ad quam vocati sumus 1. Petr. II. 9. & agnitio illius, qui nos vocavit ad gloriam & virtutem, 2. Pet. I. 3. adpellaremur ita nomine novo, quod nemo novit, nisi qui accipit Apoc. III. 12. II. 17. facti Reges & Sacerdotes Deo Apoc. I, 6. XX. 6. 1. Pet. II. 9. Spectantes ea quæ non videntur, & sunt æterna 2. Cor. IV. 18. per regenerationem Joh. III. 3 seqq. eodem modo affecti cum Christo Phil. II. 5. quærendo æterna & cœlestia Col. III. 1. ubi Rex noster Christus est, vivendo in charitate & pace, ad quam vocati sumus, ut ea *dominetur in nobis* Col. III. 15. donec penitus transferamur a Deo patre in regnum filii amoris sui Col. I. 13. Utinam clangor tubæ septimi illius Angeli mox audiatur, de quo Apoc. XI. 15. *Εγενοντο αι βασιλειαι του κοσμου, του κυριου ημων, και του Χριστου αυτου, και βασιλευσει εις αιωνας των αιωνων.* ΓΕΝΟΙΤΟ.

CO-

COROLLARIA.

1. *Sceptrum Judæ non fuit reliquum sub Herode Magno.*
2. *Serpens æneus in deserto a Mose erectus elegans fuit Christi typus.*
3. *Lingua Hebræa est primigenia.*
4. *Daniel a Judæis male Profetarum primariorum numero excluditur.*
5. *Scriptura est perfecta, nec alia datur fidei norma quam illa.*
6. *Est hæc lac & cibus non solum pro infantibus, sed & pro adultis.*
7. *Nullum aliud verbum internum mentibus fidelium a Deo immediate suggestum agnoscimus, quam quod lucet in sacris litteris.*
8. *Secundum Scripturam non secundum privati spiritus arbitrium vita est instituenda, omnisque doctrina examinanda.*
9. *Conciones (ut vulgo vocantur) legales,* Gesetzpredigten / *sunt necessariæ, nec adimunt libertatem N. T. sed promovent.*
10. *Verbum divinum etiam irregenitus concionari potest.*
11. *Distinctio in Ecclesiam visibilem & invisibilem sacræ scripturæ testimonio nititur.*
12. *Opus operatum, uti in omni divino cultu, sic præsertim in usu sacramentorum cane pejus & angue, in eo scil. solo ut acquiescatur, vitandum est.*
13. *Pontificii, quique hac in parte cum ipsis faciunt, universam fidem suam de palo putido suspendant; qui efficaciam symbolorum sacrorum a Ministri intentione derivant.*
14. *Quicunque sine fide sincera ad S. synaxin accedit, ipso actu peccat.*

DE Puero parvo, certe non parva recludunt,
Quæ *Franckenfeldi* schemata docta refers.
Nam Pueri nihil hic, nihil hic puerile videtur,
Officiens oculis, quod queat esse piis.
Cum Puer hic positus Deus est, Cui Nomina Diva,
Conveniant rebus Nomina sancta suis.
A Puero hoc speranda salus, opus ille salutis
Solus habet, vita hinc non aliunde venit.
Ipsum autem statui Regem Pater inquit ut esset,
Qui nostra in sancto sceptra Sione feret.
Nomina: *Consilium, Fortis, Mirabilis, Heros,*
Æternusque Parens, Dux quoque *Pacis* erunt.

Non

Non rudis hæc Pueri propugnatu
Sed docte evolvens cuncta
Sed Puero esse voles similis quem
In medio statuit, sic puer
Nam tali solum cœlestia Regna p
Ni Pueri veniant, janua cla

CErnimus hoc nostro non aurea
Quo spernunt multi biblia
Quo cœtus hominum, quo publica
Concio quo verbi temnitur
Cernimus! & vera moti pietate d
Quælibet in pejus deterius
Talia tu reprobas merito, tu tal
Hoc specimen signi grandis
Te nostras coluisse scholas, te ten
De Christo felix comproba
At quoniam faustus conatus nullius
Consilium si non detque ju
Gratulor: his tantis divina potent
Adjiciat variis pondera cer
In

CUm tua divino mens percita p
Plenaque corripitur numi
Ingenii quantos largo cum fœnore
Edis ovans! quantas cogni
Gratulor, & doctam dum scandis
Dicturus Christi nomina, f
Fausta precor, fausto Deus annua
Afferat & curas, ipse Jeho
Pa

ropugnaturus adinstar,
ens cuncta, Magister eris.
milis quem Christus Eorum
, sic puerum esse juvat,
ia Regna patescunt,
t, janua clausa fiet.

In perpetuum Amicitiæ monumentum
gratulabundus accinit

Joannes Adamus Bopp.

---

non aurea tempora seclo,
multi biblia, templa, scholas,
quo publica dogmata rident,
oi temnitur ipsa Sacri.
ti pietate dolemus:
us deteriusque ruunt.
ito, tu talia vitas,
igni grandis adinstar erit,
las, te templa librosque
comprobat hicce Labor;
aatus nullius unquam,
n detque juvetque Deus,
vina potentia cœptis
pondera certa modis.

In signum sinceri amoris Doctiss. D. Authori,
conterraneo suo optimo hæc
adjecit

Joh. Adolph. Baurmeister,
Neunkirchâ-Saynus.

---

s percita pectoris astro
ipitur numine, plena Deo.
um fœnore fructus
antas cognitionis opes!
um scandis, AMICE, cathedram
nomina, fausta precor.
Deus annuat omine cœptis,
, ipse Jehova, tuas.

Pauca hæcce Pereximio & Doctissimo Dn. Autori
& Respondenti amico ex paucis optimo, gratulabundus apposuit

Henr. Curtius, A. F.
S. S. Th. St.



